



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Petri Venerabilis Abbatis Cluniacensis; Illvstrivm  
Miracvlorvm Libri II**

**Petrus <Cluny, Abt>**

**Coloniæ, 1611**

III. Excusatio quare scriptor horum in narrando non potuerit te[m]porum  
conseruare.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64969](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64969)

150 DE MIRACVLIS

posuerunt. Deinde hominem de cauernis illis subterraneis educentes, vxori proprię vicinis omnibus & populo ad tantum spectaculum vndique concurrenti, mirum dictu, post annuam sepulturam incolumem reddiderunt. Qui simul congregati, & quod ille de se narrabat subtilius examinantes, eisdem diebus panem, quo reficiebatur, candelam qua illustrabatur, eo in illo specu oblata fuisse inueniunt, quibus mulier pro eius requie & missam celebrari faciebat, & sacerdoti missam celebranti, panem simul & candelam offerebat. Glorificantes ergo Dominum, & non minus quàm pro mortuo suscitato, vt verè dignum erat, gratias agentes, quantum recta fides Deo placeat, quantum fidelium oblationes vel sibi vel alijs prosint, quantam super omnia salutem salutaris hostia Deo oblata dignis operetur, luce clariùs agnouerunt.

*Excusatio quare scriptor horum, in narratione rerum gestarum non potuerit tempus & ordinem obseruare.*

CAPVT III.

**Q**UOD sæpè suprà fassus sum, me in relatione horum miraculorū

nul-

nullum temporis ordinem seruare, nulli-  
 us generis miracula vitare, fixum ac stabi-  
 le apud lectorum memoriam esse deside-  
 ro. Tunc enim nulla temporum quæ  
 fortè videri posset, confusione vel per-  
 mixtione turbari poterunt, quando me-  
 non temporum seriè, sed rerum quolibet  
 tempore gestarum veritatem obseruare  
 cognouerint. Seruassem tamen tempora  
 ipsa cum rebus gestis, si eo ordine, utri-  
 que simul à relatoribus accepissem. Sed  
 quia quandoque quæ prius facta fuerant,  
 vltima didici, quæ posterius acta, in pri-  
 mis accepi: necessitas mihi facta est, non  
 eo tempore quo res gestæ sunt, sed eo tē-  
 pore eas scribere, quo relatæ sunt. Inde est  
 quod superius quorundam monacho-  
 rum bonos actus describens, cuiusdam  
 boni & magnifici vitæ monachi gesta  
 præterij. Nam post aggressum illud opus,  
 aliquantis iam trāfactis annis, ea ex parte  
 à quibusdā dignis fide audiui, & quæ de  
 illo per me ipsum ipse agnoueram, illum  
 eius finem expectans (quia adhuc in car-  
 ne viuebat) in quo omnis laus securè ca-  
 nitur, scribere distuli. Iam verò illo felici-  
 ter humanis rebus exempto, & Deo cui  
 semper deuotus adhæserat, vt dignum  
 est credere coniuncto, tempus est aliqua  
 de eo

de eo

de eo scribendi, & posteris sanctam benedicti hominis memoriam commendādi.

*De ortu & adolescentia bona Domini  
Matthai Episcopi Albanensis.*

## CAPVT IV.

**F**VIT autem hic non obscuri secundum carnē generis, ortus ex Rhemensi prouincia, utroque parente & nobilitate (ut dictum est) insignito, & mundanis opibus locuplete. Hic in pueritia literis traditus est, & postquam adoleuit, in Laudunensi Ecclesia Clericale officium adeptus fuit. Hic statim à primis annis contra multorum Clericorum deprauatum morem, cum ætate cœpit & honestate inualescere, & leuitatem vel lasciuiam confodaliū fugiens & execrans, quod perarum est in huiusmodi hominum genere, famosis honestate ac religione Clericis adhærebat.

*Qualiter venerabili Radulpho Remorum  
postea Archiepiscopo adhaerit.*

## CAPVT V.

**I**NTER quos, quondam probatoris vitæ Clericum, Rhemensis ecclesiæ tunc Thesaurarium eligens, quia Radulphus nomine, viridis cognomine dicebatur, ei se specialius religiosa familiar-